

DE
GEORGIO THYMO
PRIMO
LYCEI SIVE HORNEI WERNIGERODANI
RECTORE.

ALTERA PARS.

SCRIPSIT GUSTAVUS EBELING, DR. PHIL.



WERNIGERODAE,
IMPRESSUM .TYPIS ANGERSTEINIANIS.

1885. Progr Nr. 232

1885.

gwe
77 (1885)

1270, 23⁶



Viro doctissimo
de juventute instituenda optime merito

GUILELMO BACHMANN

primo

gymnasii quod Wernigerodae floret
rectori

a. d. XVI. Kal. Maias,

quo die ante hos XXV annos rectoratum
scholae Wernigerodanae iniit,
gratulantur

Gymnasii Wernigerodani collegae cuncti.

Hic dies vere tibi festus omnis
Convocat cives pueros magistros.
Quinquens quinos hodie per annos
Te duce Rector

Laeta Bachmanne en schola nostra floret.
Turpe Musarum ruerat vetusta
Heu diu sedes, juvenum catervae
Diffugiebant,

Hornii nomen manus atque larga,
Quos Thymi virtus pia litteraeque
Artium crebros studiis vocarant
Wernigerodam.

Tu manu forti sapiens et arte
Inde fundamen solidum locasti
Et novam sedem regis annuente
Numine summo.

Porticus undant docili juvena.
Optimae cura celebrantur artes.
Gratia **OTTONIS** Comitibus benigna
Atria fulgent.

Justus et lenis pueris paterne
Consulis regnare peritus annis,
Viribus vere juvenis vel albo
Crine decorus.

Sis licet felix. Tibi quae mereris
Det Deus fautorque preces virorum
Curet et votis puerorum amicas
Adplicet aures.

Supplices audi Deus atque in annos
Vivat et multos patriae saluti.
Des senectutis placidam quietem
Et decus omne.

Scholam Capitulo S. Silvestri a. 1265. a Gebhardo et Conrado Comitibus Wernigerodae ad aedem S. Silvestri condito ab initio adjunctam fuisse, quamquam ‚scholasticus‘ in canonicorum numero non erat, verisimile est. ‚Scholares‘ certe jam a. 1287. commemorantur; ‚rektoris scholarium‘ prima fit mentio a. 1481, quo anno tabulis quibusdam testis subscripsit ultimus ‚Conradus biwenden, scholmester to der tidd to wernigerode.‘

Discipulorum numerum saeculo XVI. non ita exiguum fuisse, vel inde jure colligere videmur, quod primum a. 1532, deinde saepe rectores a ministris, qui vel locati vel collaborantes nominantur, ad munus fungendum adjuvari in tabulis accepti et expensi comitum jussu confectis videmus scriptum. Jam quo tempore rei Christianae emendandae studium maximam ad res et publicas et privatas habebat vim, nil mirum, quod scholae quoque ratio et ordo paulatim commutatus est. Atque anno fere 1531! inter capitulum comitem magistratumque convenisse videtur, ut rectorem scholae communiter cum comite magistratus crearet, eodemque pacto benignitate comitis salarium annuum rectoris quaternis florenis auctum est. *)

Paulo post a. 1538 ex pactione inter capitulum et magistratum comite annuente facta administratio scholae, quae usque ad id tempus in potestate catholici capituli fuerat, tota in magistratus fidem et tutelam ita transit, ut magistratui et creandi rectoris jus permittatur et aedificium, in quo tum habitabat ludi magister, tradatur proprium. Insequenti anno Bothone comite, qui rerum necessitate coactus animo tantum a Lutheri parte steterat, mortuo Wolfgangus et Albertus comites totaque fere civitas imperio eorum subjecta palam doctrinam Lutheranam professi sunt. Evangelica igitur schola et quae oppidi magistratum colebat et observabat patronum jam a. 1538 instituta est. Neque tamen per temporum iniquitatem fieri potuit, ut laete effloresceret. Tum vero beneficentissimus ille studiorum praeses et custos, Hinricus Hornius, inopi urbi incendio paulo ante paene deletae liberalissime subvenit et quamquam ipse erat officialis Alberti episcopi, propugnatoris causae

*) Cf. Zeitschrift des Harzvereins 1869. p. 139, ubi Jacobs vir doctissimus et de pervestigandis rebus Wernigerodanis optime meritis ex tabulario Com. Stolb. multa et nova ad primordia Scholae Wernig. illustranda attulit.

Romanae, tamen tanquam ‚alter Nicodemus‘ scholae evangelicae fidei addictae suo sumptu egregiam sedem paravit et rectori collegisque ejus duobus salaria tam larga pro illis temporibus constituit, ut pueri et Wernigerodani et exteri gratuito instituerentur. Quod factum est a. 1550. eodemque fere tempore ut novam scholam institueret rector vocatus est Georgius Thymus ‚denuo cum sit opus hic aperire scholam.‘ Qua de re majores a. 1750. iterumque 1850. saecularia scholae, cui postea nomen sive Lyceum sive Horneum inditum est, sollemniter celebrarunt. Lycei nomen tum primum exortum esse colligas ex versibus Thymi incisis in lapide illo, quo ornabatur olim porta scholae a magistratu conditae et Hornii sumptu ‚splendidiore structura ornatae.‘ Verba sunt haec:

Sumptibus immensis prudens vigilansque Senatus
Culta Lycaea scholae struxit ab arte recens.

Iisdem fere verbis utitur Thymus in Elegia Hecatosticha a me edita (cf. Lib. schol. gymn. Wern. 1876. p. 13) quo loco scriptum est:

Ergo etiam vigilis nunc provida cura Senatus
Extruere inde parat culta Lycaea Scholae.

Primus igitur rector Scholae Hornii beneficiis et munificentia ab integro fundatae fuit Georgius Thymus Zwiccaviensis, Melanthonis praeceptoris illius Germaniae discipulus, qui postquam aliquamdiu Parthenopoli ‚hypodidascali officium sustinuit‘ primo Zwiccaviae, tum Goslariae rectoris munere per paucos annos erat functus. Cujus de vita quoniam alio loco accuratius disputavimus, nunc de ingenio moribusque ejus dicere et imaginem, quantum ex scriptis ejus fieri potest, exprimere haud alienum videtur. Etenim praeceptoris ingenio, doctrina, moribus insignis memoriam sibi proponere ne nostra quidem aetate supervacaneum aut ineptum est.

Et sane erat in Thymo candidus ille animus, qui ludi magistro ad fructus laetos et uberes ex puerorum doctrina et institutione percipiendos potissimum opus est. Non enim ut homo aut mercennarius quaestu aut ambitiosus gloria impulsus, sed, id quod veri et genuini magistri est, puerorum amore ductus studium et operam muneri fungendo impertivit. Qui animus optime elucet ex praefatione syntaxis a. 1549. editae, ubi hunc in modum disserit: ‚Syntaxin in publicum emitto, non ad ingenii ostentationem, neque ullo popularis aurae pruritu, aut demerendi favoris gratia, ἀλλὰ πρὸς τὸ χρήσιμον καὶ κοινωνικόν, hoc est ad utilitatem et communicationem proximi, in quem finem omnia nostra studia secundum Dei gloriam praecipue directa esse debent. Nam non spe lucri, nec ob ambitionis honorem Edo, sed ut pueris utilis esse queam. Qui vero melius potero prodesse juventae! Quam si praecipiam prima elementa brevi? Atque profecto non ut operarius mercede conductus quaestus causa munere fungitur, sed summa religione, quippe qui tanquam sacerdoti sibi a deo officium delatum existimaret. A deo enim praecipi ut erudiantur pueri identidem monet. ‚Magna‘ in-

quit, pars est ecclesiae Dei, coetus puerorum, qui nondum sensit vitiosa contagia, et adhuc pura conscientia Deum invocat. Hunc coetum severissime Deus et parentibus et gubernatoribus commendat, vult ei tradi doctrinam coelestem, vult ab hoc coetu invocari, quam ad rem cultura aliqua ingeniorum necessaria est. Eodem juvenutis studio et amore commotus Philippi magistri exemplum sequitur magistratusque urbium vel monet, ut in hoc maximis vigiliis et summo studio incumbant, ut schola floreat, vel laudat quod, omnibus modis propensi et proclives ad promovendam rem litterariam in schola honestas artes et omnes Musarum alumnos cumulatissime prosequi et fovere solent; non enim minimum est optime constitutae Reipublicae ornamentum habere scholam longe florentissimam atque omnium celeberrimam. Quod ut fiat, necesse est habere praeceptores egregia et non vulgari eruditione praeditos, quique pueris cum summa morum gravitate, eximia pietate, pervigili labore et sedulitate, integerrima denique vitae sanctimonia praeesse possint. Hominem igitur qui talem summi et perfecti praeceptoris speciem animo informaret, ipsum enixe et sedulo operam dedisse, ut eam praeceptoris normam et regulam quam maxime sequeretur, facile intellegitur. Ac pietate quidem imbutus teneros puerorum animos pietate item imbui summum institutioni esse propositum censet et cum ipse illustre exemplum est pueris imitandum tum docendo, hortando, castigando oculis et animis discipulorum illud inculcat infigitque a quo incipiunt leges scholasticae ludi Wernigerodani ex anno 1600. nobis traditae, timorem dei sapientiae esse initium. A Thymo enim auctore illas leges esse repetendas ex eis verbis effici videtur, quae altera manu sunt supra scripta: hae leges latae tempore foundationis scholae a. 1550. Idem certe monet discipulos Zwiccavienses in Paraenesi ad studiosam juventutem: Discite imprimis timere Deum. Initium enim sapientiae timor Domini. Quin insuper, ut Christus ipse praecipit:

Discite me primum pueri, atque effingite puris
Moribus, inde pias addite literulas.

Et ut Matthaei sexto inquit:

Quaerite principio coelestia regna Tonantis,
Hinc reliquae vobis adjicientur opes.

Quod autem hactenus plane nullum aut perexiguum fructum ex studiis vestris perceperitis, nihil aliud in causa fuit, quam quod absque timore Dei non ex corde eum invocaveritis neque divinum ejus auxilium, prout conveniebat, ardenti animi desiderio imploraveritis. Quod si vero ab eo qui πάντων ἐστὶ δοτὴρ εὐών foelicem studiorum vestrorum successum impetrare velitis, ardentibus votis orandum et simul etiam summa diligentia omnique animi conatu literis incumbendum. Tum enim, si quidem oraveris et laboraveris, dabit Deus incrementum. Maximum autem adjumentum et subsidium pie vivendi praeter litteras sacras ipsas judicat esse catechismum Lutheri, quem quanti aestimaverit ex his ejus verbis satis apparet: Quilibet

homo Christianus inquit in praefatione libri qui inscribitur, Praecipua pietatis capita, dummodo ab ipso Christo nomen habere desideret, aut votis ardentibus optet, omnem diligentiam adhibeat, ut multum temporis operaeque in illa quinque capita, quae universum corpus coelestis doctrinae tam de Lege quam de Evangelio continent, insumat, cum omnia quaecunque in sacra scriptura tradita reperiuntur, undique tanquam ad scopum huc referantur.

Uberius de eadem re disputat in praefatione editionis secundae, ex qua nonnulla pietatis ejusdem testimonia quae in lucem proferantur, haud indigna sunt. ,Ad consequendam, inquit, veram et coelestem salutem, ac ad effugiendam aeternam condemnationem necessarium est nobis universis, et singulis, ut Catechismum (quem ,parva biblia' vocat) omni quo possumus studio cognoscamus et vitam nostram secundum Christianae pietatis dogmata sedulo et diligenter instituamus. Ergo Catechesin summo studio omnibus horis omnes christicolae nos didicisse decet.' Itaque ut salutari illa doctrina animos instrueret, in suprema scholae Wernigerodanae classe capita pietatis et religionis Christianae graece metris heroicis a Joachimo Camerario comprehensa praelegebat. ,Quod autem, inquit, id institutum sim aggressus, duae potissimum causae me moverunt et impulerunt, partim ut Tyrones et tanquam hospites Graecarum literarum inde discerent, assuescerentque praeceptiones Grammaticas transferre ad usum. Alias enim nisi sedulo perdidicerint praeceptiunculas, parum in probatis autoribus proficere poterunt, partim etiam, ut haberent, ubi sese in studio pietatis exercerent et sic in teneris annis sibi familiaria redderent capita Christianae doctrinae.' Similiter in praefatione editionis secundae se eum librum ait confecisse, ut omnes pii intellexerent, se cum aliis scholarum gubernatoribus non quaeque prophana tantum in ludo literario tradere, verum etiam, quantum officii Scholastici ratio flagitaret, ex sacris literis initia pietatis et Christianae religionis elementa puerorum animis instillare et edocere.

,Nam prodest multum conjungere sacra prophanis,

Quin pietas studiis anteferenda bonis,'

Quae Christianae pietatis capita in versus elegiacos redacta, postquam Melanthonis censurae submitit, graece edidit cum versione latina a. 1555. Facere non possum, quin Thymi verba ipsa, cum modesti et grati animi praeclarum sint testimonium, ex praefatione afferam. ,Ac ne sine ullius eruditi viri, cujus auctoritas plurimum valeret, approbatione, vel emendatione curarem ea carmina Graeca prodire in publicum, praesertim nondum satis luculenter elaborata et elimata, submiti eadem acri censurae observandissimi praeceptoris D. Philippi Melanthonis, eique totum commendavi negotium, ut quidquid idem Aristarchus, et Censor acutissimi judicii de istis Sacris carminibus statueret, aut statuendum judicaret, ejus fideli consilio minime refragarer, sed lubens acquiescerem.' Eo libello quem dicit quantumvis parvum, attamen nihilo minus valde preciosum non quidem hujus momentaneae vitae, sed potius

immortalis animae, et aeternae salutis thesaurum continentem, carmine elegiaco conscripsit: decem praecepta, symbolum Apostolicum, orationem Dominicam, sacra verba baptismi, verba coenae Dominicae, benedictionem mensae, gratiarum actionem. His addidit preces matutinas et vespertinas, nomina seu epitheta quaedam usitatiora Filii Dei ex vetere et novo Testamento, duos praeterea locos ex capite primo et tertio Evangelii Joannis electos, quibus tractat et illustrat illud Joannis: in principio erat verbum et sic Deus dilexit mundum. Iterum eadem Christianae pietatis capita edidit a. 1560. Alia mutavit, alia correxit, praecipue in accentibus graecis, praeterea addidit ex Joannis Evangelistae prioribus XIII capitibus insigniorum sententiarum locos, ex primo Genesis capite locum de creatione hominis, ex secundo de conjugio, deinde nonnullas preces, postremo hymnum alphabeticum in Jesum Christum. Interpretationem latinam e regione Graeci textus subjunxit, quia

‘Optimus interpret verborum quisque suorum,
E Graeco in Latium vertere non piguit.’

Et sane quantum fieri potuisset sedulo sese dedisse operam, ut ne latum quidem unguem Latina versione vel ipsis verbis saltem a Graeco discederet textu, sic tamen ut nihilo minus verum ac genuinum ubique sensum retineret verbumque propemodum verbo redderet.

Exempli causa ex decalogo, qui superat et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate Bibliothecas omnium philosophorum atque jurisconsultorum praeceptum primum afferam:

Κεφάλαια Χριστιανισμοῦ.

*Ταῦτα βροτοῖς πᾶσιν προστάγματα θεῖ' ἐλάλησε
παντοκράτωρ κτίστης καὶ θεὸς ὁδὲ λέγων.*

Capita Christianismi.

Sic dicens cunctis praecepta est sacra locutus
Omnipotens rerum conditor, atque Deus.

Πρόσταγμα πρῶτον.

*Κύριος εἰμὶ θεὸς μόνος αὐτὸς ἐγὼ σέθεν αἰεὶ,
οὐχ ἕξεις ἐτέρους ἐκτὸς ἐμεῖο θεοῖς.
Μοὶ λάτρευε μόνω, θεῶν μηδ' ἄλλο σέβισσε
σοῦ μόνος αὐτὸς ἐγὼ κύριος εἰμὶ θεός.*

Praeceptum primum.

Sum Dominus Deus en tuus ipse ego semper et unus,
Non alios meme praeter habeto Deos.
Tu cole me solum, numen venerare nec ullum,
Sum Dominus Deus en solus ego ipse tuus.

Ut compares Thymum cum exemplari, quod ad imitandum sibi proposuit, eundem locum ex Joachimi Camerarii libro, qui inscribitur ‚Capita religionis christianae Graecis versibus comprehensa‘ addam. Haec sunt Camerarii verba:

*Παντοκράτωρ Θεὸς οὐράνιος προλέγει τάδε πᾶσιν
 Ἀὐτὶς ἐγὼ Θεὸς εἰμι μόνος, καὶ ἀπεκὶός ἐμεῖο
 Οὐδεὶς ἐστὶ Θεός, σὺ δ' ἐμοὶ μέμνησο λατρεῦσαι
 Μόνω, μὴ δὲ παρέξ Θεῖον τοῦδ' ἄλλο σέβισσε.*

De veritate vero doctrinae Lutheranae Thymum prorsus sibi persuasisse cum Melanthon gravissimus auctor est, qui testatur pie eum didicisse summam ejus doctrinae, quam vera Ecclesia Dei profitetur, et consensa Ecclesiae catholicae amplecti et ab omnibus fanaticis et seditiosis erroribus abhorrere, tum ex libro illo facile perspicias, quem Latino sermone primum editum postea in vernaculam linguam transtulit, ut non modo discipulis et viris doctis, sed etiam omnibus hominibus literarum Graecarum et Latinarum rudibus prodesset, ut Thymi verbis utar, damit sie desto nützlicher zulesen sein möchten auch für einen jeden gemeinen Mann oder einfeltigen Leyen vnd gutherzigen Christen.‘ Inscribitur is liber: Die zwölf Hauptartikel des Bekenntnis vnsers Christlichen Glaubens.

In praefatione Annam, Abbatissam Quedlinburgensem, quae erat e gente Comitum Stolbergensium, ad quam eum librum misit, his verbis adit: ‚E. F. G. wölle dis geringe wercklein zu einer vorehrung, vnd kleinem geschenck von mir vnbe-
 kandtem Schulmeister günstiglichen, vnd im besten auffnemen, vnd nach gelegenheit der zeit bey ihrer weil nicht allein vom anfang zum ende fleissig vorlesen, sondern auch dermassen ins herz hinein bilden, damit auffs wenigste nur ein brünstiges füncklein der Christlichen liebe gegen Gott, vnd die menschen angezündet werde, vnd hinfürder der glaube dadurch gestercket von tag zu tag je mehr, vnd mehr oberhand neme. Bitte darneben gantz emsiglich E. F. G. wölle weltlich ehr, zeitlich gut, wollust des Leibes, herrliche pracht, sampt grosser gewalt allhie auff Erden in dieser Welt durch verachtung gering schätzen, allenthalben vornichtigen, vnd hindan setzen, dargegen aber allein die Göttlich ehr, des Himmlischen Vaters Allmechtigkeit, vnd hohe Mayestat Gottes des Königs aller Königen, vnd Herren aller Herren sampt den ewigen vnvergenglichen Geistlichen Gütern, welcher er vns alle nach absterben in der künftigen welt, wölle helfen theilhaftig machen, gros achten, vnd sehr verwundern. Es wölle auch E. F. G. dem wherden, edelen vnd thewren schatz, des heiligen Evangelij jhr gantz trewlich befohlen sein lassen, vnd an dem wort Gottes, welches da nach laut der Schrifft in ewigkeit bleibet, festiglich hangen, vnd endlich den rechten wahren Christlichen glauben, von jetzund bis zum ende dieses zeitlichen lebens nicht alleine mit munde, sondern auch viel mehr bestendig von Herten grunde bekennen.‘

Tum sequitur liber ipse, qui iterum inscribitur: Die zwölf hauptartickel vnser Christlichen Glaubens, wie den die heiligen Apostel, für jrer Scheidung eintrechtiglich zusammen bekendt. Der erst Apostel S. Petrus. Sub ea inscriptione imago S. Petri adumbrata est in ligno quod dicunt incisa. Aversa pagina leguntur haec: Der erste Artickel. Von der Schöpfung Gottes, des Allmechtigen Himlischen Vaters. Ich glaube an Gott den Vater, Allmechtigen Schöpffer Himels vnd der Erden.

Ich glaub von gantzem Hertzen rein,
An dich HERR Gott Vater allein,
Ich bekenn, ehr, vnd preise dich
Mit rechtem Glauben festiglich,
Der du Schöpffer in Ewigkeit,
Himel, vnd Erden hast bereit,
Im anfang, da dein Wort all ding,
Durch sein Krafft zu schaffen anfang,
Vnd kanst noch bis zur Werlet end
All Geschöpf schaffen gantz behend.

Hieremias am X. vnd LI. Capitel. Du solt anruffen Gott den Herrn, vnsern Vater, der da hat die Erden durch seine Krafft gemacht, vnd der Weltkreys bereitet durch seine Weisheit, vnd den Himel ausgebreitet durch seinen verstand. —

Du solt allein recht anbeten
Gott den HERRN, vnd für jn treten
Mit deinem Gebet demütig,
Denn er ist ein Vater gütig,
Den soltu mit grosser andacht,
Billich stets ehrn, der durch sein macht
Himel, vnd Erd erschaffen hat,
Vnd alles, was drin ist, mit rath,
Du solt jn auch den Schöpffer dein,
Der Allmechtig ist, lassen sein.

Von dem Ersten Apostel Petro, Welcher ein Galileer, von Betsaida, ein Fischer, vnd Andree Bruder gewesen.

Es sagt der HERR Christus also,
Zum heiligen Apostel Petro,
Nim hin zu trewer Hand von mir,
Des Himels Schlüssel, die ich dir
Befehl, vnd geb dir all gewalt,
Das du lösen vnd binden solt,
Was du wirst auff erden allein
Auflösen, sol dort gelöst sein,

Vnd was du wirst binden zugleich,
Sol gebunden sein im Himmelreich.

Ceteri deinceps articuli percensentur additis eodem modo imaginibus apostolorum, testimoniis ex Vetere Test. depromptis, versibusque lingua vernacula confectis. In extremo libro summam doctrinae Christianae versibus complectitur.

Adjectus est libellus, qui inscribitur: Der Christliche Kinderglaub, auff ein andere weis nach anzal der dreyen Artickel, wie sonst fast der gemeine gebrauch ist, in kurze Reym verfasset. Articulum primum, qui est de creatione, his versibus includit:

Ich glaub an den ewigen Gott,
Ich ruff jhn an jnn aller not,
Ich setz auff jhn mein zuvorsicht,
Mein hoffnung ist auff jhn gericht,
Ich glaub an den von heitzen grund,
Bekenn jhn öffentlich mit mund,
Der mein gütiger Vater ist,
Vnd Allmechtig zu steter frist,
Welcher Himmel vnd Erden hat
Durchs wort erschaffen mit der that.

Subsequitur admonitio Christianorum oratione soluta composita: Eine warnung an vns Christen, das wir vns vleissig fürsehen, vnd wol hüten für den ketzern aller falschen Secten, vnd eine Trewe vermanung, das wir bestendig verharren im rechten warhafftigen Glauben an Ihesum Christum, bis zum ende vnsers lebens.

In praefatione ejusdem libri hymnum illum qui incipit a verbis ‚Weltlich ehr und zeitlich gut‘ in lucem edidit. Etenim praeter studium Catechismi, quem non modo germanice, sed etiam graece et latine vult disci, hymnos sacros potissimum et precationes idonea esse existimat, quibus discipulorum animi imbuantur pietate. Ideo jam anno 1549. ‚ad calcem ceu coronidem syntaxeos latinae‘ aliquot precationes apposuerat, quae ‚mane postquam ventum est in scholam ante praelectionum inchoationem a quodam scholastico publice recitari solitae sunt praemisso tamen prius sacro hymno Veni creator spiritus.‘ Paulo post Georgii Majoris hortatu hymnorum sacrorum corpus vulgavit, ex quibus quemadmodum orare deberent et intētis animis ad deum confugere probe pueri discerent.

Praemittit autem insigniores aliquot scripturae locos et ex vetere et ex novo Testamento erutos, in quibus mentio fit hymnorum sacrorum. Quod quo consilio fecerit, ex his epilogi verbis intellegitur. ‚Ex istis locis, inquit, quos quidem omnes ex sacris Bibliis excerptos esse videtis, adolescentes optimi, luce meridiana clarius est cernere, quanta veneratione veteres olim dignati sint Deum Optimum Maximum piis sollicitare hymnis eumque hymnisonis canticis seu preconiiis celebrare.

Unde et vos non absimili ratione ad illorum exemplum debebatis *ἑμμεῖν*, id est, Deum laudare, glorificare, et honorare, *ἑμμεν* enim cum sit graeca dictio latina appellatione nihil aliud significat, quam divinam laudem, et verbum activum *ἑμμεν* proprie idem, quod Deum laudo sonat. Atque ut tam mane divini numinis opem imploretis, quam vesperi quoque Deo pro ope impertita gratias agatis vos optimi adolescentes

Nocturna versate manu, versate diurna,
Quos sacros hymnos pagina sacra dabit.'

Liber ille, qui jam a. 1549. Zwicaviae confectus a. demum 1552., nescimus qua de causa, typis exscriptus prodiit, inscribitur: Hymni aliquot sacri veterum patrum una cum eorum simplici Paraphrasi, brevibus argumentis, singulis Carminum generibus, et concinnis melodiis a D. Cantore Parthenopolitano Martino Agricola Musico celeberrimo compositis, quos ex Veteri institutione discipuli non solum Magdenburgi, Verum etiam Cygneae pariter, atque Goslariae in Schola quotidie in singulis horis alternatim in laudem, et gloriam Dei Optimi Maximi psallere solent.' Hymni ipsi sunt hi: 1. Veni creator spiritus. Addit modulationem a Mart. Agricola confectam, quae accommodata est variis vocum generibus, quae dicuntur Discantus, Altus, Tenor, Bassus, alteramque a Paulo Schalnreutero compositam. Tum sequitur singulorum versuum paraphrasis, breve argumentum, brevisque de genere carminis disputatio, quae omnia, inquit, nostro iudicio non parum lucis legentibus allatura putamus. Eodem modo ceteros hymnos interpretando explanare et ad discentium intelligentiam accommodare studet. 2. Divi Ambrosii hymnus 'Iam lucis orto sidere.' 3. Nunc sancte nobis spiritus. 4. Tu trinitatis unitas. 5. Veni maxime spiritus, tuorum reple corda fidelium. 6. Nocte surgentes vigilemus omnes. 7. O lux beata Trinitas. 8. Iam sequitur hymnus ille a permultis Thymi ipsius nomini addictus Aufer immensam Deus aufer iram, de quo in priore disputationis nostrae parte (pag. 8 seq.) uberius diximus. 9. Fac Deus ut redeat post plurima nubila Phoebus, Splendeat et rursus clarior orta dies, cujus carminis elegiaci auctor non appellatur nominatim. 10. Sequitur carmen item elegiacum Joannis Stigelii pro conservatione ministerii verbi et pace: Adserere nos verbumque tuum Deus optime serva, Et rabiem Turcae pontificumque preme. Utrique carmini modos aptavit Paul. Schalnreuterus. 11. Decalogus hexametro carmine per Joannem Sauromannum. Quattuor vocum harmonia Mart. Agric. 12. Oratio Dominica per eundem elegiaco carmine. Quattuor vocum modulatio Mart. Agric. 1530. Aliter eadem a Matthaeo Collino Gurimeno reddita. Sequitur certa forma precandi de sancta Trinitate autore Philippo Melanthe. Postremo adduntur: eadem preces pie conjectae in versiculos elegiacos. Precatio D. Philippi brevius carmine reddita. Eadem precandi formula a Joan. Stigelio heroico metro versa. D. Ausonii Galli precatio matutina ad Omnipotentem Deum pro commodo vitae hujus.

Quos hymnos quo modo et quo ordine Thymus in schola cantari velit in *Paraenisi ad studiosam juventutem in Inclyta Urbe Cygnea* latius et diffusius exponit.

Quam gratae sint, inquit, Deo ejusmodi preces, facile quilibet aestimare poterit. Ad quem autem modum orare debeatis, et intentis animis ad deum confugere precibus, poteritis vel ex hymnis istis probe perdiscere. Omnes enim fere de Sancta Trinitate tractant, et praecipue Spiritus sancti invocationem continent. Solet autem in tota sacra scriptura praecipuus esse articulus de Trinitate, unde et tanto commendatiores hymnos vobis habere debebatis, quos nunc excusos, et publice in lucem editos omnibus, adolescentes optimi, in mei monumentum relinquo, ut sibi unusquisque comparare, et semper ad manum habere possit, quibus in ludo dum decantari solent, in dies utatur, eo, qui hic praescribitur ordine, sic videlicet, ut prima hora matutina, cum ventum est in scholam, sive ea sit quinta, sive sexta inchoetis ante omnia hymnum istum *Veni Creator Spiritus*, additis postea simul aliis quibusdam precationibus, quas consueti more puer aliquis singulis diebus alternatim per vices a praeceptore constitutas publice in schola e medio coetu assurgens memoriter, et quidem distincte, claraque voce non immurmurans palato recitabit ante praelectionis auspicationem. Cui deinde finita lectione post signum horae datum subjiciendus erit alter ille *Iam Lucis Orto Sidere*. Postea antequam alia lectio inchoetur, haud incommode pro imploratione Divini auxilii poteritis canere *Nunc Sancte Nobis Spiritus*. Et tandem priusquam e ludo egressi fueritis, psallendus erit iste de sancta Trinitate Hymnus *Tu Trinitatis Unitas*. Atque hac ratione licebit uti quattuor istis hymnis antemeridiano tempore. Solent autem ubique fere discipuli mane integras tres horas continue interesse ludo, nisi sicubi illis aliquantulum vacationis aut spatii ad jentaculum ex liberalitate Praeceptorum liberum concessum fuerit. A prandio vicissim quam primum in scholam redieritis hora duodecima, sicuti moris est, ante Musices inchoationem, aut canendi exercitium incipietis absque cunctatione et mora sequens canticum *Veni Maxime Spiritus Tuorum*. Donec interea omnes alii frequentes conveniant, et turmatim congregentur. Deinde ubi Cantor absoluto suo penso hora prima pomeridiana abierit et alius collega ad praelegendum accesserit modulabimini Nocte surgentes *Vigilemus Omnes*. Subsequenti vero hora *O Lux Beata Trinitas*. Et tum antequam prorsus e ludo dimissi domum abieritis vesperi, incipietis ad placitum canere, aut hymnum valde pium *Aufer Immensam Deus Aufer Iram*. Aut etiam, si libet, istam Stigelii precationem *Assere nos, Verbumque tuum Deus optime serva*. Ad hunc praescriptum modum et ordinem poteritis uti hymnorum illorum Melodiis, quotquot hoc ordine collectos videtis. De hac ratione et institutione quid judicandum sit, nemini dubium. Ne quid nimis. Hymnis subjungit magnum precationum et matutinarum et vespertinarum numerum, quas ut usui quotidiano in schola essent, collegit. Aliae alterius auctoris partim oratione soluta, partim versibus sunt compositae. Praemittit autem hanc exhortationem ad

tenerae juventutis informatores.' Utinam Praeceptores ubique passim in scholis hunc pium juxta ac religiosum morem obstinatissime retinerent, ut piae recordationis ergo bis die discipulis hoc officii imponerent, quo singulis diebus publice in coetu et congregatione scholastici sodalicii mane quidem salutandi gratia Christianam aliquam precatiunculam ad coelorum Patrem Benignum omnibus in rebus auxiliatorem dirigerent, et vesperi se Dei Optimi Maximi tutelae ac patrimonio commendandi causa similiter ad eandem gratiarum actionem pro ope impertita instituerent. Mane cum voles surgere primo omnium signabis te sancta cruce et dices: In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Post flexis genibus, vel erectus primum Apostolicum Symbolum, post orationem Dominicam orabis. His si voles, addes hanc pretiunculam. Ego tibi o Pater coeli et terrae, per Jesum Christum dilectum tuum Filium ago gratias, quod me hac nocte e. q. s. Vesperi cum lectum petis, primo omnium signabis te sancta cruce et dices jam conscendens lectum: In Nomine Dei e. q. s. Post flexis genibus, vel erectus primo dices pretiunculam Ego tibi Omnipotens, et misericors Pater, per Jesum Christum dilectum filium tuum, gratias ago, quod me hoc die per gratiam tuam defenderis. Haec ubi dixeris in utramvis aurem securus dormias.'

Quae precationes omnes paucis exceptis latino sermone sunt conscriptae itemque hymni. Quamquam enim in extrema exhortatione addit Thymus: 'Quod si quis vero malit vulgatiores illas e D. Martini Lutheri Catechismo pretiunculas commemorare, uniuscujusque sane libero arbitrio integrum permittitur', tamen constat illis temporibus latina lingua non modo viros doctos sed etiam discipulos vel paululum aetate provectos ad colloquendum inter se uti eademque lingua libros, qui in usum hominum optimarum artium studiis eruditorum scriberentur, componi fuisse solitos. Minime igitur mirum, quum in latinam linguam discendam in scholis omnis cura et opera conferretur, quod Thymus quoque latinae linguae et litteris vim tribuit summam.

Videamus nunc qua ratione litteras illas velit doceri. Qua in re ut in aliis rebus Melanthonis potissimum auctoritatem secutus est, qui in praefatione libro illi Thymi qui inscribitur 'Exempla syntaxeos', praemissa quanti momenti et ponderis grammaticorum studium judicaret gravissimis verbis plane et aperte exposuit. Aurea sane verba, quae a praeceptoribus nostrae praecipue aetatis legantur et penitus animis mentibusque mandentur dignissima. Itaque praefationem illam, praesertim cum viros doctissimos in edendis Melanthonis operibus fugisset, in libello scholastico gymnasii Wernigerodani a. 1876. in lucem edidimus. Qua in praefatione jure vituperat et castigat, quod praeceptores quidam latinam linguam lectione eorum, qui latine scripsissent, et consuetudine loquendi disci posse arbitrati in ludis litterariis rari admodum docerent grammaticas praeceptiones. Quum autem plurimum referat semina grammaticae initio recte accipi, orat et obtestatur non solum eos, qui

doceant, sed etiam magistratus, qui inspiciant studia juventutis, ut acerrime pugnent, ut juvenus grammaticis rationibus assuefiat. Similiter idem alio loco inter alias pestes rei litterariae hanc praecipuam' judicat, quod rari admodum grammaticas praeceptiones doceant. Idque fieri video, inquit, alias inertia praeceptorum, quos laboris piget. Nam quia subasperae sunt praeceptiones, non sine negotio ad eas discendas pueri perpelluntur. Alios pudet in re, quae nihil habet ostentationis, versari. Ita fit, ut vix unquam neglectis his primis literarum elementis pueri ad frugem perveniant. Sed enim egregiam operam navare mihi videntur, qui ad praeceptiones addiscendas diligenter accurateque pueros assuefaciunt. Neque enim aliter aut recte intelligent aliena scripta aut tuto loqui audebunt ipsi.' Similiter Thymus persuasum habet institutionem grammaticam omnis doctrinae esse fundamentum. Et vero facile intelligitur, quantum temporis aedificium, quod sine fundamentis moliantur, quum subsit nihil, possit durare. Proinde, inquit in praefatione syntaxis, et nos praeceptores adolescentum rationem in ea re habere convenit, neque ad affectatae ostentationis captionem gravissimos autores illis proponere decet, ut ita ad sublimia summarum artium fastigia evehamus, quos nondum institutione rei Grammatices diligenter et fideliter fundamentum jecisse deprehendimus, sed potius, ut bene consulamus eorum studiis, ὁποῖός τις omnia tradere ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον operae pretium erit. Quoties quaeso quantumvis grandaevi, et provectoris aetatis juvenes hinc inde commeantes, qui alibi a praeceptoribus ad gravissimorum autorum lectionem assuefacti vanam sibi sapientiae persuasionem induerunt, nobis obtruduntur in scholam percipiendi nec tamen norunt vel minimam periodum, aut sententiam aliquam generalem e probatis autoribus erutam juxta regulas grammaticas tam exacte, uti recta ratio poscebat, excutere, quod certe saepenumero re ipsa comperimus. Quid igitur utilitatis habet universa quam scrupulosissime apud rudes et imperitos rimari, deque singulis subtiliter investigando (ut Graeci dicunt), ἀκριβολογεῖν? Quemadmodum vero is, qui citra fundamenti soliditatem aedes superbe extruere, ac in altum erigere conatur, omne oleum et operam perdit, καὶ εἰς ὕδωρ γράγει: ita qui sine Grammatica ad aliarum artium arcem et fastigium properant, labore sese frustra macerant, ingenii vires incassum perturbant, tempus insuper, quo nihil pretiosius, inaniter conterunt, marsupium denique ita exhauriunt, ut mox fundo numus suspiret in imo. Haec ceterarum disciplinarum omnium basis est, et fundamentum, quae nisi os pueri ludum literarium nuper ingressi probe formarit, in ceteris humanitatis artibus frustra sudabitur. Haec siquidem janua ad omnes artes aperit, ad Dialecticam simul, et Rhetoricam munit. Quare quis eam artem primariam, cujus fundamento reliquae omnes sunt innixae, probe cognoscere detrectet? Rei vero Christianae ad doctrinam divinitus datam et servandam et propagandam magis opus esse grammaticae pagellas quam multarum aliarum opera aurea et marmorea' in praefatione Exemplis syntaxeos' praeposita jam anno ante exposuerat.

Immo quid aliud est, inquit, Ecclesia Dei in hac vita, nisi grammatica interpres divini sermonis. Non omnes gignit novas opiniones, sed vocem Dei discit, in hac acquiescit, et eam ceteris proponit. Sermonem igitur rudibus interpretatur, eaque in re scit hanc fidem praestandam esse, ne aliae opiniones misceantur.' Hanc igitur esse laudem grammaticae amplissimam, quare et praeceptoribus qui recte doceant gratiam deberi et adolescentes non modo non fastidire oportere exercitia illa grammatica, verum etiam adamare, cum cogitent eruditionem illam necessariam esse ad sermonem coelestem intelligendum et ad propagationem doctrinae. Itaque ipse Deum ex animi sententia orat, ut se regat atque adjuvet in eo munere, quod magnum decus esse iudicat, ut labores sui in eo genere salutare sint ecclesiae, ut ea ipsa elementa litterarum et doctrinae recte proponat pueris et eorum mentes et linguas ad veram invocationem Dei exsuscitet. Inprimis autem pueris frugiferam esse et summe necessariam syntaxin admonet in praefatione syntaxis. Magna sane, inquit, vis est ordinis cum in aliis rebus, tum maxime in docendo, et quod in Oeconomia Xenophon scribit, οὐδὲν οὕτως οὔτε εὐχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὥς ἡ τάξις.

Omnibus in rebus melius nihil ordine certo,

Sic neque Grammatices adjuvat ordo parum.

Hoc in oratione maxime cerni potest, quae si rebus ordo desit, simpliciter est sine mente sonus. Quam ob rem adolescentes vel ab ineunte aetate, sive ut Graeci dicunt, ἐξ ἀπαλῶν ὀνύχων se quam diligentissime assuefacere debebunt, ut in primis verba in orationibus debite, et apposite ordinare discant. In teneris enim (ut Virgilius inquit) assuescere multum. Caeterum praeceptores etiam eos summo studio ad justum in singulis orationibus ordinem observandum adigant, et impellant. Nam haec pars Grammatices pueris initio non parum negotii facere solet, verum ubi compositionem vocum et certam ordinandi rationem cognorint, postea non magno labore cum fructu uberrimo in authoribus se versari ipsi facillime agnoscent. Et quemadmodum nemo pictorem quempiam aut fictorem consummatum dixerit, qui omnia quidem seorsim membra exacte exprimeret, jungere autem nesciret, et in eam habitudinem componere, ut motus aut actus alicujus quam vellet imaginem imitarentur, sic ne grammatici quidem nomen sibi vindicabit, qui omnia, quae ad sermonem videantur esse necessaria, et idonea invenire sciat, sed disponere, et in certum ordinem redigere nesciat.' Item paulo infra: In tenui, ut ait Virgilius, labor est, at tenuis non gloria, non mediocri pretium operae, posse animi sensa citra ambiguitatem efferre. Nam quibus haec Grammaticae pars non satis familiariter nota est, ii quia temere congerunt voces, non possunt explicare, quod sentiunt, sed dant sine mente sonum, et inani quodam strepitu feriunt aures, perinde atque fluctus litora ferit. Est autem in puerilibus studiis in primis opera danda, ut sermonem sibi quisque perspicuum, et planum comparet, quo exponere animi cogitata sine ambiguitate possit. Indigni mihi hominis vocabulo videntur qui quoties res seriae orationem

flagitant, tanquam *κατὰ πρόσωπα* in comoediis nullam vocem edere possunt. Saepe enim comperi pueros, cum bonorum verborum magnam habeant copiam, tamen certam structurae rationem non norint, non ausos esse loqui, quibus opera omnis collata in literas, unam hanc ob causam perierat, quod Syntaxin non didicerant. Quare diu mihi in hac parte Grammatices puer detinendus videtur, dum omnes formulas coagmentandarum vocum cognoverit, et tanquam architectum orationis profiteri se ausit.' Postremo omnia quae de usu et necessitate Grammaticae disputaverat, carmine complectitur, qua juventutem ad syntaxin discendam exhortatur. Id carmen, ex quo et Thymi et aetatis illius rationes et proprietates maxime perspiciantur, facere non possum quin totum afferam.

Exhortatio ad Juventutem de Syntaxi discenda.

Discite Syntaxin moneo studiosa juvenus,
Haec docet apposito jungere verba modo.
Ordine qui certo didicit contexere voces,
Profecit studio non (mihi crede) parum.
Principio a se poterit proferre latine,
Quae modo cunque animo cogitat ille suo.
Judicio inde bono sensum elicuisse valebit,
Authorum quoties scripta probata legat.
Saepe sed in medio muti sermone resistant,
Qui non syntaxin perdidicere probe.
Edere vix poterunt vocem ceu *κατὰ πρόσωπα*
Qui nequeunt certo nectere verba modo.
Qui non structurae norit praecepta latinae,
Non valet is pure verba latina loqui.
Nec dextre authorum prorsus monumenta bonorum
Viribus ingenii perspicere ille potest.
Vel doctos homines obscura oratio verbis,
Aut nova Syntaxis fallere saepe solet.
Injiciet scrupum non raro dictio magnum,
Si non disponas ordine rite suo.
Quare age verborum seriem observare studeto,
Si recte studiis consuluisse voles.
Fronte quidem prima promittere pauca videtur,
Ejus in immensum sed patet utilitas.

Iam vero illud non praetereundum quod vel maximi momenti esse ad pueros educandos nemo est quin assentiatur. Neque enim modo ad scriptores antiquos recte interpretandos et ad pure et recte latino sermone loquendum assiduum opus est

grammaticae studium, sed major in grammatica est vis, quae latius patet et ad animum mentemque pueri conformandam plurimum valet. Disciplina enim grammatica juvenes ut grammaticis ita divinis legibus obtemperare optime assuescunt. Optimo igitur jure Thymus in ea quoque re Melanthonis praeceptoris auctoritatem et consilium sequitur, qui loco illo quem laudavimus monet magistratus, ut considerent similes esse sensus animorum erga regularum vincula in artibus et erga leges, quae frenent cupiditates in moribus. Quaecunque naturae abhorreant a regulis artium, easdem et legum impatientes esse. Ut moribus prodest assuefieri juniores ad legum reverentiam, ut sciant se non privatas opiniones et cupiditates sequi debere, sed omnes actiones ad normam aeternam in mente divina quae in legibus proposita est congruere oportere, ita prodest ad diligentiam, ac ad modestiam in judicando de artibus, judicia ad regulam dirigere.'

Iam ad alterum locum transeamus. Videamus qua via et ratione Thymus grammaticam, cujus studium maxime necessarium judicat, velit doceri. Ac primum quidem ei studio valde noceri existimat multitudine et diversitate librorum grammaticorum, quae, ut Thymi verbis utar, nunc prope modum excedere videtur et multo plures fere reperiuntur grammaticae quam grammatici. Omnium igitur consultissimum esse atque ex animo optandum, ut ubivis locorum Philippica adhibeatur quae, inquit, non solum hinc inde passim in scholis tam inferioris, quam superioris Germaniae in omnium manibus teritur, sed apud Sarmates quoque, item in finibus Austriae et aliis regionibus summa cum diligentia a professoribus tractatur.' Itaque Philippicam et Latinam et Graecam Cygneae pro Plateanica tractare coepit, quod a D. Georgio Majore, cum omnem statum Zwiccaviensis ludi litterarum inspiceret, probatum esse narrat. Ad Latinam autem Philippi grammaticam exempla collegit Thymus et tractatum de periodis et distinctione membrorum orationis addidit a. 1548. Anno insequenti Melanthonis grammaticam ipsam edidit nova quadam forma et pro minoribus in scholis in succinctas quaestiones redactam atque e regione regularum exemplis omnium facillimis illustratam.' Rem enim omnem simplicissime ad tenerae aetatis captum et modulum accommodato certoque ordine tradi. Est, inquit, valde vitiosa atque odiosa simul haec anxia nimis, et superstitiosa tradendarum artium curiositas, quae a recta, simplici, et hac compendiarie docendi ratione longius recedit. Nam praeterquam quod ex ea paulo liberius ingenium magno quodam taedio, et molestia animi adficitur, pertenuem etiam institutionis hujus omnis fructum sentit. Illud quidem meo judicio multo rectius, atque utilius est, ut os tenerum pueri, balbumque figuret praeceptor, primum ex pauculis aliquot simpliciter, et nude propositis regulis, quibus mox deinde succedat authorum lectio, auditio, stylus multus. Valde nocent studiis puerorum paedagogi, qui remorantur eos, quominus statim assuescant ad optimorum authorum lectionem, unde et natae sunt

primum praeceptiones artium omnes, et certior omnino, solidiorque dicendi facultas peti potest. Sed multo plus nocent alii, qui in minutioribus, et puerilibus illis linguarum tradendis elementis suum praetermittunt, officium tam necessarium, dum interim infirmæ hinc atque rudi aetati eos authores proponunt, quibus illa nullo modo aut matura satis, aut idonea. Atque hoc illud est, cur plurimi robustiores jam facti desciscant a literarum cultu, atque studio omni, quia in hac prima et puerili institutione neglecti, desperant se deinceps posse ad frugem aliquam pervenire.

Sic Thymus in praefatione. Rectissime autem eum sensisse de docendi ratione et praecepta ejus ne nostra quidem aetate neglegenda esse quis est qui neget? Bene igitur fecit, quod *Exempla Syntaxeos* collegit ad usum scholae suae, ut *discentibus regulæ fierent magis familiares, monstratae in talibus exemplis.* Regulas ipsas ex Philippi syntaxi depromptas in succinctas redegit interrogandi et respondendi formulas. Ut quid et quo modo efficere voluerit ostendam, nonnulla ex eo libro in medium proferam.

Prima pars est de ordine constructionis. Incipit a quaestione: Quid requiritur in constructione? Respondetur: Series quaedam verborum, ac membrorum in oratione quasi naturalis. Tum quaeritur: Quidnam illa naturalis series ostendit? R. Ostendit velut in aedificio, quod sit fundamentum, atque initium orationis, et qua ratione partes reliquæ addantur. Q. Quid videndum est in structura Grammatica? R. Quod sit initium orationis, unde quasi tela pertexitur oratio. Quam structuram explanat duobus exemplis, quorum alterum (*Nescia mens hominum etc.*) ex Vergilio, alterum (*Deus erat verbum*) ex Joanne Evangelista deprompsit. Disputat deinde de subjecto et praedicato, quas dicit causas ejus ordinis, exemplis ad regulas explicandas additis. Tradendus autem, inquit, pueris hic ordo grammaticæ constructionis tribus potissimum de causis: primum, ut sententias pueri recte venari discant. Deinde, ut observent, quomodo membra orationis sequentia præcedentibus attexi possint, per particulas connectentes, hoc est, conjunctiones, quarum mira vis est. Postremo, ut etiam dijudicent perturbatas constructiones, quæ vocantur *Hyperbata*, id est transposita et transgressus, quæ sæpe vitiosa sunt, et officiunt perspicuitati orationis. Tum ad regulas ipsas de ordine constructionis constitutas transit, quæ apud Philippum tres sunt.

Prima regula in versiculos conjecta hæc est:

1. Rite Vocativus primas tenet ordinet primo,
Nec si ponatur, prætereundus erit.
2. Deinde sua serie rectum subjunge vocanti.
Verbum finitum post modo subjicias.
3. Ponitur interdum vice recti oratio tota,
Infinitivus raro nec unus adest.

- Personale solet verbum praecedere rectus,
Rectus et a tergo saepe secundus erit.
4. Protinus obliqui merito sua verba sequuntur,
Hinc quibus appones ordine quemque suo.
 5. Quin simul a tergo verbis Adverbia subdas,
Voxque suum casum praepositiva regit.
 6. Accusativo quia vel praemittitur ipsi,
Aut Ablativum poscit habere sibi.
Quatuor ut solae promiscue utrumque requirunt
Casum, diversa sed ratione tamen.
 7. Nomina conjungit simili conjunctio casu:
Nec non verba pari copulat ipsa modo.
 8. Infinitivus verbo dependet ab ipso,
Saepe sed appositum mobile nomen habet.
 9. Cum Participiis post se vel cuncta Supina
Adsciscunt casum, quem quoque verba regunt.

Quibus versibus subjungit paraphrasin et brevem explicationem. Quid vero prosit si ad hunc modum vocabula singillatim enumerentur, docet R. XXXV: Plurimum adjuvantur in interpretando infirma puerorum ingenia. Vix enim fieri potest, ut praevideat puer sententiam longiusculae periodi, nisi hac ratione veluti per scalarum gradus ordine per singulas periodi partes ad extremum usque progrediatur. Altera regula est: Utilis est consuetudo interrogandi: unde regitur casus? Declarat hoc exemplis ex Hor. 2, 10, 9. aliisque ex Vergilio, Luca, Ovidio petitis. Tertia regula, quae est de impersonalibus, praecipit: Si occurrant impersonalia verba, non est quaerendus Nominativus, sed inchoanda constructio ab ipsis impersonalibus tam activae quam passivae vocis, nisi quis malit ab obliquo ordiri significante personam. Exempla ne in hac quidem parte deesse facile suspiceris. Postquam deinde regulas Susenbroti et Despateri, quae sunt de eadem re, attulit, sequuntur exempla aliquot insigniora, valde tamen intricata e singulis Eclogis Bucolicorum Vergilii excerpta, ordine collecta, et in unum quasi acervum comparata, ut habeant studiosi adolescentescens, in quibus se exerceant, tantoque facilius, sicubi in probatis authoribus in similia incidant, de iis judicare possint. Sunt hi duo et viginti loci: Ecl. 1, 20, 54, 65. 2, 19, 40. 3, 33, 104. 4, 63. 5, 1, 45. 6, 13, 64. 7, 9, 21, 37. 8, 1. 9, 35, 50. 10, 16, 77. In exemplis explicandis disputat de orationis luminibus, quae ibi occurrunt. In quibus est evocatio, prolepsis, synthesis, ellipsis, syllepsis, zeugma, hypallage, enallage aliae, praeterea regulae grammaticae enucleantur, quotiescunque occasio oblata est, omnia denique congeruntur, quae ad illustrandam sententiam opus videantur. Finem facit disputationi his verbis: Habes hic studiosa juvenus obscurissima quaeque, et maxime perplexa paradigmata e Bucolicis Vergilianis excerpta,

quae quomodo in construendo ordinanda sint, traditur simpliciter, et pingui, quod aiunt, Minerva, unde velut ex poenu licebit petere. Atque ut tanto facilius unusquisque, nisi prorsus stupido, et obtuso ingenio sit praeditus, vel suo Marte absque ullo doctore percipere possit, nolui tradere ἀναθέστρον καὶ σαφέστρον. Neque tantum est cernere exempla nude proposita cum ordinatione, καὶ ἐξηγήσει aut explicatione qualicunque, verum suppediabant tibi illa insuper etiam copiam plurimarum regularum constructionis, et quidem earum, quae saepenumero pueris si proponantur, non minimum scrupulum injicere solent. Sunt enim pleraeque difficillimae e tota Syntaxi fere tanquam in Epitomen hoc loco contractae. Quocirca ut possis te ex illis labyrinthis extricare, summo studio, et toto pectore in hoc incumbendum erit, ut tibi illas, sicuti ordine allegatae sunt, memoriae infigas, et quam maxime familiares facias. In quibus sane si te diligenter exercueris, non poteris non cum maximo tuorum studiorum emolumento ab his tanquam primis fundamentis ad altiora progredi, tibi que ad multo majora viam sternere. Postremo exponit de periodis, de quibus, quod valde utile sit pueris nosse exactam formam periodorum et rationem distinctionum, quaedam subjungere operae ducit esse pretium. Plurimum enim, inquit, conducit orationem punctis bene distinctam esse. Et quemadmodum bene distincta multum lucis addunt orationi, ita e diverso male punctis disposita valde obscurant eam, et non raro remorantur aliquem in explicanda vera, ac genuina sententia. Disputatione ipsa, quae item in diverbii formam est redacta, tractat de periodo ejusque partibus, de commatis et colis, tum de tribus distinctionum speciebus, de subdistinctione (ὑποστιγμή), de media distinctione sive mora (μέση), de distinctione, quae proprie sic vocatur (τελείη). In fine exempla dat periodi simplicis et periodorum, quae ex binis, ternis, quaternis, quinis pluribus membris constant. Anno insequenti, ut supra diximus, Syntaxin minorem Philippi nova quadam forma recens edidit similiter pro minoribus in scholis in succinctas quaestiones redactam atque e regione regularum exemplis illustratam. Misit eum librum ad Hieronymum Zornium Zwiccaviensem discipulum, ut haberet unde artificium construendi peteret, et qua ratione omnia verba ordine tanquam ad amussim exigere et examinare posset. Majorem quoque Syntaxin editurus jam antea Parthenopoli, ubi tum temporis communem collegam in muneribus scholasticis agebat, in erotemata redegerat et in tabulas, quae rem quasi sub oculos positam illustrare et valde memoriam juvare solent, contraxerat, sed ne id quod animo intenderat perficeret praematura morte impeditus est. Ex syntaxi minore exempli causa initium primae partis, quae est de nominis syntaxi, proferam. Quaestio prima est: Quot sunt regulae constructionis de nomine? R. Tredecim. Q. Quae est prima regula? Adjectivum et substantivum eodem genere, numero et casu cohaerent. Ad eundem modum et participia substantivis connectuntur. Idem servatur in pronomibus et in interrogationibus. Da exempla. Amicus certus in re incerta cernitur. Donec eris foelix e. q. s. Cujus est sententia? Ciceronis. Altera parte

Philippum secutus regulas de syntaxi verborum constitutas subicit tredecim. Exempla ad eam quoque partem elegit plurima et optima, in quibus permultas quas dicimus sententias et proverbia; raro exempla petit ex recentiorum auctorum scriptis. Quod nonnulla affert ex poetis deprompta, quae aliena sunt a solutae orationis dicendi genere, satis justam inde repetit excusationem, quod praeclarae illae sententiae jam primis ludi scholastici annis puerorum memoriae sint mandandae. Rarissime addit interpretationem vel Germanicam vel Graecam. Nimis saepe, ut omnes illius aetatis grammatici, Latinum dicendi genus ad Graeci refert exemplum.

Totum librum, si quid litterarum studium promoverit quaeras, nullius fere esse momenti luce est clarius et Thymus ipse justissimus sui est existimator et iudex. Nec volui, inquit, officinis typographicis hanc puerilem lucubrationem tradere. Sed cum viderem mendose a multis describi, et mendas remorari discentes, duxi satius esse haberi in manibus libellos excusos. Veniam igitur huic editioni peto, et a doctis et prudentibus impetraturum me esse spero, cum tantum utilitati tenerae aetatis consulere voluerim, cui exercitia Grammatica necessaria esse omnes prudentes norunt. Scio non posse quaeri laudem ingenii aut eruditionis in hoc ludo puerili, et fateor me non instructum esse scientia sublimium artium, quas ingeniosi homines praecipue admirantur.

Et sane excellit Thymus minus praeclara et exquisita doctrina quam arte docendi et educandi. Quamquam enim Melanthon est testis eum in studio linguae latinae et graecae diligentissime se exercuisse et ad ceteras philosophiae partes arithmeticen et initia dulcissimae de motibus coelestibus doctrinae adjunxisse, quamquam et pedestri et poetico orationis genere ad antiquitatis imitationem usus est, tamen magnam aut singularem doctrinam in eo fuisse aut libris quos edidit satis multos litteras magnopere auctas esse negandum est. Non enim tam erat vir doctus quam peritissimus juventutis educator et praeceptor de diligenti grammaticorum studio et de emendanda docendi ratione optime meritis. Neque vero spe lucri nec ob ambitionis honorem eum puerorum animis et pietate et litteris formandis per totam vitam enixe se dedisse, vel inde colligas, quod non, ut omnes fere illius aetatis praeceptores solebant, postquam nonnullos annos in scholarum umbraculis desudavit sacerdotis munus quod multo plus praeberet fructus et otii petivit, sed mediocri et reditu et honore contentus sincero juventutis amore ductus in schola sacerdotis dei praeceptis obtemperantis munere functus est omnemque operam et studium usque ad mortem pueris educandis navavit. Idem juventutis studium ex eo apparet, quod librorum quos edidit magnam partem ad discipulos quosdam misit praefationibusque eos admonuit, ut patrum exempla imitati pietate et honestis moribus et bonis litteris aliquando familiae essent ornamento, reipublicae aut ecclesiae usui et maximo commodo. Itaque Exempla Syntaxeos ad Ioannem Lampertum Servestensem mittit, ut, haec enim sunt ipsius verba, specimen apud te exstet gratitudinis meae

erga virum optimum patrem tuum teque adhorter, ut patris virtutem et doctissimi fratris studia considerans his te domesticis exemplis ad virtutem et ad colenda literarum studia exsuscites.' Syntaxin autem minorem, ut supra commemoravimus, ad optimae indolis ac summae spei puerum Hieronymum Zornium suavissimum discipulum et conterraneorum optimum' mittit eumque patris instar comiter et familiariter his verbis appellat: Quare, inquit, cum dilectissimo patri virtus et institutio tua non minus curae sunt, quam sibi sua vita, tanto tenerius te amabit, si talem te praestiteris, qualem ipse optat, probissimum videlicet et doctissimum. Est in tua manu situm, ut utrumque et ingenio et doctrina consequare. Tuum nunc erit videre, ne spem et exspectionem, quam omnino bonam de te tuisque studiis concepit pater, fallas. Vale in Christo, puer optime, et exemplum, quod domi habes sapientissimi patris, imitare.' Postremo juvenem nobilissimum Theodolum e gente Walmodensi, quem Goslariae discipulum habuerat, praefatione carminis illius, quod inscribitur: Des Edlen vnd Streitbarn heldes Thedel Vnuorferden von Walmoden manlicher vnd Ritterlicher Thaten etc., ut majores ad imitandum sibi proponat et virtute ipse se nobilitet, verbis et amicissimis et gravissimis adhortatur. Facere non possum quin verba Thymi ipsa quae a nobilitate nostrae quoque aetatis et legantur et audiantur dignissima afferam. Sunt haec: Zum dritten, das du deinen vorfarn wöllest in auffrichtigen tapfferen thaten, dich auch dermassen zu beweysen, vnd gleich als einem spiegel zu beschawen, nachuolgen, vnnd ein exempel von jnen nemen. Zum beschluss will ich dich insonderheit ganz trewlich vermant haben, das du, dieweil du mit disem Thedel Vnuorferdt, des alhie gedacht einen gemeinen namen hast, gleich dermassen yetzund in deinen jungen jaren wöllest in seine fusstapfen dretten, vnnd im auch nachuolgen, auch fleissig zu studieren in allen wegen auff's aller höhist geflissen sein. Sintemal dich dann dein lieber vatter gleicherweis zum studieren nicht mit geringer vnkost jetziger Zeit in den theuren geschwinden leuffen helt, wöllestn trewlich behertzigen, damit alles dasjenige, so deine eltern ohn einige beschwerung auff dich wenden, nicht vbel angelegt werde, vnnd du darneben die aller Edelste zeit deiner jugend nicht schandtlich mit leichtfertigen dingen zubringest, sondern trachtest in allen wegen darauff, das du mögest beide in zucht, vnnd lehr zunemen, auff das etwan zur zeit ein gelerter, ansehnlicher, wichtiger mann aus dir erwachse, vnd auffgezogen werde, der du köndest im Regiment mit geschicklichkeit, fürsichtigkeit, vnd weisheit allen den deinen nutzlich fürstehn, vnd dein Ehrvesten eltern sampt dem gantzen geschlecht dadurch ehr an dir erlebten, vnd erfüllen, das sie alsdann höchlich würden erfrewet werden. Du wöllest auch gäntzlich dafür achten lieber Thedel, das die Adeligkeit nit allein in der vorfarn Edlen stamm, ankunfft, vnd herrlichen schiltten, oder wapen gelegen sey, sondern vil mehr in fromkeit, vnnd aller tugend redlichen auffrichtigkeit. Dann der ist recht Edel, sagt man, welchen sein tugend Adeln. Nun endlich bitt ich gantz freuntlich, du

wöllest zum theil dise meine trewe warnung von mir deinem alten Preceptore im besten auffnemen, dann ichs fürnemlich guter meinung gethan.' Restat ut carmen ipsum breviter strictimque attingam. Thymum versus non modo, ut tempus ferebat, latinos, sed etiam, id quod sine dubio Melanthonis disciplinae debet, graecos satis scite et docte panxisse, eundemque patrio sermone, ut etiam linguarum et litterarum rudibus serviret, pias preces et sinceram Lutheranam doctrinam versibus inclusisse supra diximus. Sed majus etiam carmen quod dicitur heroicum patrio sermone confecit. Quod ut faceret adductus est a patre Theoduli illius, qui vir ipse satis doctus annales gentis Walmodensis saxonico sermone compositos cum Thymo communicavit, qui fontibus illis usus res temporibus bellorum rei Christianae causa olim susceptorum a Theodulo gestus celebraret. Quod carmen quamquam non minus quam cetera docet benignam illam et divitem ingenii poëtici venam in Thymo non fuisse, tamen haud alienum videtur summam libri secundum capita et partem aliquam ut exemplum totius operis in medium proferre. De editionibus libri in priore dissertationis parte disputavimus. Summa libri haec est: Des ersten stücks innhalt, wo des Edlen Ritter Thedels ältern gesessen vnd gewont, auch wie sie geheissen, vnd wie sie jren sun Thedel zu der Schul, vnnnd aller Gottes forcht auffgezogen haben. Am andern stück oder innhalt würt angezeigt, wie er aus Franckreich kommen, auch vber ein kind zu genattem gewonnen, vnd was er mit dem Priester, der das kind getauffet, geredet habe. Das dritte stück zeigt an, wie Thedels ältern gestorben vnnnd er das haus Lutter vberkommen, vnnnd was ihm auff ein zeit durch den bösen geist auff dem gejägdte begegnet. Das vierdt stück zeigt an, wie Thedel, nachdem er durch den bösen geist, auff einer drey beinden zigen oder geiss zum heiligen grab geführt worden, das er den Hertzog Heinrichen von Braunschwigk daselbst gefunden, vnnnd was sie mit einander geredt haben. Das fünfft stück zeigt an, wie Hertzog Heinrich den Thedel zu gast geladen, vnnnd ihme an seiner F. G. gemahel brieff geben, auch wie es jme mit dem teuffel in der kirchen ergangen. Das sechst Stück zeigt an, wie der böse Geist dem Thedel ein schwartz Ross, darauff er heim geritten, geschenckt hab, auch jme darbey verboten, woh er dasselbig Ross vberkommen, neimands anzuzeigen. Das sybende stück zeigt an, wie Thedel wiederum frisch vnd gesund zu haus kommen, vnnnd seiner hausfrawen angezeigt, wie er zu dem heiligen grab gewesen, vnnnd wie es jme auff der raiss ergangen sey. Des achten stücks innhalt, wie Thedels Hausfraw jne befragt, wo jme das schwartz ross hercome, vnd was er ihr darauff zur antwort geben, auch wie er gehn Braunschweig geritten, den Hoffmeister gebetten jme für die Fürstin zu uerhelffen. Das neunde stück weyset aus, wie Thedel für die Fürstin kommen, vnd ihr mündlich angezeigt, wie das ihr Herr noch bey leben, auch das er in zweyen tagen bei jme zum heiligen grab gewesen vnnnd wie die Fürstin solches nicht glauben wöllen.

Caput nonum versibus hoc modo persequitur:

Der Hoffmeister ging in den sal,
Da nemlich sassen alzumal,
Die Kinder mit der Fürstin zwar,
Bracht ihrer gnaden die red dar,
Der Vnuorferdt ist vorhanden
Kumt sehr fern aus frembden landen;
Wolt ewer gnaden gern reden an
Eh dann er sich macht auff die ban,
Und das ist heimlich, glaubt für war
Welchs nicht soll werden offenbar,
Meint, wenn ihrs nur würdt hören an
Solt ihr werden lustig daruan,
Und solt erfrewen ewer hertz
Er sagt, es ist gewisslich kein schertz,
Drumb wöl ihn selber sprechen an
Vnd hörn, was will der Edelmann.
Die Fürstin zum Hoffmeister sprach
Heis Thedel kummen auff diss gemach,
Wir wölln gnediglich anhörn
Sein wort, sein red vnd sein begern,
Vileicht bringen sie vns frummen
Drumb lass in her zu vns kummen.
Gar bald für die Hertzogin kam
Der Vnuorferdt von Edlen stamm,
Entdeckt sein haupt, vnd neiget sich
Erzeigt sein ehr demütiglich,
Von stund an both sie ihn die handt,
Da sie ihr angsicht zu ihm wandt,
Mit gnedigen worten ihr red
Zum Vnuorferden Thedel thet,
Sagend, was ist doch dein beger
Drumb du nemlich bist kummen her?
Thedel der Vnuorferdt da sprach
Ich will euch erzelen die sach,
Deshalben ich herkommen binn
Vnd was doch ist mein gmüt vnd sinn,
Gnedige Fürstin zu Braunschwig
Der Wolgeborn, vnd Durchleuchtig,

Hertzog Heinrich ewer gemahl
Lebt noch zur zeit, vnd geht ihm wol,
Ist auch noch starck, frisch vnd gesundt,
Liebt ewer gnad aus hertzen grundt,
Ehrgestern hat mich bey der hand
Sein gnad, da ich persönlich fand,
Bey dem heylgen grab ewern Herrn
Zu Hierusalem also fern,
Der durchlechtig Herr wolgeboren
Entbeut ewer gnad ausserkorn,
Souil heyls vnd guter nacht
Als manch rodts mündlein im jar lacht,
Desgleichen auch als vil sandt korn,
Im Meer sind, vnd in allen born,
Darneben souil grasstiel sind
Die man auff dem gantzen weg find,
Vnnd werden hie von Braunschweig an
Täglich gesehen bis man hinan,
Gen Hierusalem wandern thut,
Das ist ja ein anzeigung gut,
Das ers mit euch noch hertzlich meint
Die ihr vmb jn auch oft geweint.

Eodem modo reliquis capitibus res a Theodulo post ducis reditum in Germania et in Livonia gestas versibus celebrat.

Reliquum est ut de Thymi natura et moribus pauca addam. In eo per totam vitam fuisse non fucatam pietatem abunde omnibus ejus scriptis et aequalium testimoniis comprobatur. Mero eundem juventutis amore quaestu spreto et gloria neglecta totam vitam multo cum sudore pueris educandis impertivisse supra commemoravimus. Multum sane, ut ait Plinius, conducat, quo quisque praeceptore usus sit. Et vero optimas doctrinae rationes et in schola et in academia percepit. Quanta autem observantia Melanthonem praeceptorem coluerit et dilexerit, vel inde colligas, quod aetate provector, cum rector esset scholae, grato modestoque animo adductus carmina sua censurae praeceptoris subjecit. Praeceptoribus, a quibus Cygnaeae litteris erat imbutus, amplissimis verbis cum omnibus gratias agit habetque maximas, tum M. Petrum Plateanum beneficii percepti memor grato animo summis laudibus effert. Cujus cum in locum a senatu patriae e Saxonia vocatus esset, ne civibus operam suam aut studium temere detrectare videretur, refragari noluit et ad subeundam provinciam scholasticam non invitatus accessit, praesertim cum agnosceret se multis nominibus debere communi patriae ea in re prodesse propter beneficia olim in se collata nec ingratitudinis

vitium, ut omnium primum, ita ferme eo tempore omnibus commune in se vellet redundare.' Iam biennio nondum peracto cum munere illo se abdicaret, in epistola nuncupatoria modestiam et lenitatem insitam, qua Melanthonis est simillimus, verbis illis ostendit, quae partis prioris pag. 5. commemoravi. Neque vero Thymo defuit severitas illa, qua schola Cygnea Plateano potissimum rectore vicinitati, ut Melanthon censet, antecellebat. Declarant hoc verba, quae exstant in paraenisi fideli ad studiosam juventutem in inclyta Urbe Cygnea.' Tam singularia autem et tam propria sunt ea verba, ut facere non possim quin hoc loco afferam. 'Satis quidem, inquit, mirari non possum optimi adolescentes et dilecti fratres in Christo vestram istam ineptam, ne dicam stolidissimam dementiam, et plane Cyclopicam vel Ethnicam vivendi rationem in hac praesertim extrema mundi senecta, ubi certe necesse erat vivere in omni modestia, sanctitate, et pietate. Quid bone Deus cogitatis, quod tam effrontes, prae fracti, petulantes et male morati securis animis in omnis generis vitia teterrima provoluti vitam degitis usque adeo barbaram, et plus quam beluinam? Neque unquam reverendam Dei Majestatem in coelis respicitis neque ullius hominis in terris aut blandam admonitionem, aut securam objurgationem aut castigationem curatis.'

Atque ut lenissimus ille homo severitate, quum opus erat, minime carebat, ita in summa modestia idem magnanimitate quadam meritorum sibi conscia excellit. Tantum enim abest, ut muneris scholastici, licet multi humile et vile existiment, eum pudeat, ut libere se magistrum et grammaticum profiteatur et quid cum respublica tum res Christiana debeat praeceptori, copiose et abundanter disserat. 'Grammaticam, inquit in praefatione exemplis syntaxeos praemissa, doceo, quo in munere qui diligentiam mediocrem et fidem praestant, hos existimo de hominum vita et Ecclesia praeclare mereri. Omnino justum est tribui convenientem honorem summis artibus. Sed non propterea elementa literarum despiciantur, imo quo majus decus est summarum artium, eo magis necessaria haec initia esse existimentur. Quae insania esset, si in copiosa messe colonus laetus despiceret operas arationis et sementis? quas quidem tunc, cum videt non fuisse inutiles, magis probare incipit. Si quis autem despicit hunc nostrum laborem formandi ingenia puerilia, is perinde facit, ac si despiceret piae matris assiduitatem in nutriendo, fovendo, lavando infante recens nato. Ut autem pro illis magnis laboribus matrum perpetua eis gratitudo debetur, ita profecto meretur et nostra assiduitas bonorum et sapientum favorem, quae teneris ingeniis non sine difficultate et molestia verae doctrinae de Deo et de virtute et de aliis rebus bonis semina instillat.'

Virum tantis pietatis industriae ingenii doctrinae ornamentis praeditum Senatus Wernigerodanus scholae Hornii liberalitate renovatae et quasi iterum fundatae rectorem evocavit et ludo litterario praefecit. Novam autem scholam a Thymo recte sapienterque esse ordinatam, institutam, administratam, quamquam aequalium testi-

monia non extant, ex moribus et ingenio ejus facile colligas. Post abitum ejus scholam per tria fere saecula rectoribus magnam partem doctis et rei scholasticae peritis, ex quibus honoris causa nomino Schützios fratres, floruisse quis est qui nesciat? Sed res humanae fragiles et caducae. Postquam per tantum temporis spatium schola laetissimos et uberrimos fructus cum reipublicae tum urbi tulit, temporum iniquitate tristis illa de ea deminutio facta est, qua Lyceum a vicinis gymnasiis superatum angustioribus finibus circumscriptum jure illo adulescentes maturitatis testimonio ornatos ad Academiam dimittendi carebat. Duodequadraginta demum annis post Lyceum vetustum scholae fundamentis a Bachmanno rectore iterum positus singulari pristinorum discipulorum favore, ardentissimo Heilandii studio, diligenti senatus Wernigerodani cura, summa Ottonis Comitis Celsissimi gratia et liberalitate in antiquum statum restitutum justi gymnasii jura recepit et paulo post gymnasium in fidem et tutelam Illustrissimae gentis Stolbergo-Wernigerodanae totum translatum est.

Itaque ut schola tertium fundata ornata amplificata multa in saecula floreat dimittatque et ad studia et ad negotia suscipienda juvenes pietate litteris patriae amore imbutos Deum Optimum Maximum oramus et precamur.

monia
scholam
peritis,
sciat? S
schola
iniquita
superat
testimo
annis p
sitis si
senatus
in anti
in fiden

dimittat
amore

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B				W	G	K				C	Y	M			

ejus facile colligas. Post abitum ejus
agnam partem doctis et rei scholasticae
uizios fratres, floruisse quis est qui ne-
Postquam per tantum temporis spatium
reipublicae tum urbi tulit, temporum
ta est, qua Lyceum a vicinis gymnasiis
ptum jure illo adulescentes maturitatis
ndi carebat. Duodequadraginta demum
mentis a Bachmanno rectore iterum po-
re, ardentissimo Heilandii studio, diligenti
Comitis Celsissimi gratia et liberalitate
sii jura recepit et paulo post gymnasium
ergo-Wernigerodanae totum translatum est.
mata amplificata multa in saecula floreat
cipienda juvenes pietate litteris patriae
ramus et precamur.

Handwritten mark or signature at the top center of the page.

Faint, illegible text spanning the upper half of the page, possibly bleed-through from the reverse side.